

Dominis vero Ablegatis non tantum plenae satisfactionis suae sed et permaturum grati animi sui sensum hisce exprimendum, concluderunt.

Caeterum cum ex praeaudata Relatione id quoque impatescat, quod Dominus Aurelius Kussevich Regnorum horum Archivarius, certam petitionem contra Electionem Dominorum Ablegatorum directam, per nonnullos ex Regnicolis Comitibus Regni Hungariae Partiumque adnexarum exhibitam aequae subscripserit, et nonnulla acta praeattactae petitioni adnexa per praefatum Dominum Archivarium ex Archivo Regni excepta et lectisata exstiterint — SS. et OO. hoc ex respectu resensum suum Manifestandum determinarunt.

Articulus Octavus.

De Episcopatus Zagrabiensis in Sublimem Archi Episcopatus Dignitatem Erectione a Sua Majestate Sacratissima expetita.

E Consideratione ejus, quod Episcopatus Zagrabiensis felicissimae Regnorum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae cum Hungaria conjunctioni coaevus inde a tempore foundationis suae ac septem quippe jam Saeculis non obstantibus atrocissimis Tartarorum Turcarumve Invasionibus et vastationibus in interruptum persistens, tum amplitudine extensioneque sua, cum etiam Numero fidelium ad Episcopatum hunc spectantium cunctas fere Dioeceses Regni Hungariae Partiumque adnexarum superante, Puritateque Religionis Catholicae in eodem vigente, splendida item dotatione e Munificentia Regum Apostolicorum Praesulibus Zagrabiensibus attributa, celeberrimaque historia sua spectatis, unam ex eminentissimis Regnorum horum Institutionibus Constituat, Episcopi porro Zagrabienses Patriam, calamitosissimis temporibus saepe extremo discrimini expositam, Consilio ac Ore interitu salvaverint, quavis oportunitate respectu promovendi Altissimi Servitii et Boni publici defendendorumque Jurium et Privilegiorum Municipalium Regnorum horum indefessam operam navaverint, largissimas item foundationes pro patienti humanitate errudiendaque Juventute Scholastica fecerint, reflectendo praeterea ad Regnicolaria de Anno 1807 Acta, ubi de Episcopatu hoc in Archi Episcopatum evehendo mentio fit, spectato insuper et eo, quod Dignitas Regnorum horum secum ferat, ut iisdem Regnis in Ecclesiasticis Archi Episcopus praeficiatur, hocve sublime munus Episcopis Zagrabiensibus eo a fortiori conveniat, quod iidem passim in Officio Banali Locumtenentes benigne nominari svererint, sed et attentis actualis Zagrabiensis Episcopi Excellentissimi quippe Georgii Haulik Conspicuis omni sub obtutu meritis, qui utpote universos propemodum suos redditus pro bonis operibus et Decore Patriae hujus litat, ac intra exiguos, quibus Dioecesi huic praeest, annos, in articulatione dignum Monasterium Sororum misericordiae Cura infirmorum et Schola Puellari semet occupantium magnis sumptibus erexit et munifice dotavit, Juventuti Litteris operam navanti generosa Stipendia addixit, per quae haec et alia centum pia opera sibi in cordibus Regnicolarum aere perrenius Monumentum posuit, SS. et OO. Suam Majestatem Sacratissimam de genu exorandam statuerunt, quo e respectu quoque diversarum, quae Coram Foris Ecclesiasticis suscitantur, et in via appellatae ob remotiorem distantiam cum multiplicibus Incomoditatibus et non sine gravibus Partium litigantium